

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA IN EPISCOPORUM ORATORIIS ASSERVANDA

(D I C T A M E N)

Mota est apud nos quaestio de episcopis, an eis scilicet sanctissiman. Eucharistiam in privato episcopalis domus oratorio asservare sine apostolico indulto liceat.

Aliis infortiis euntibus, affirmative respondendum visum est mihi. Meum autem assertum sic probari posse arbitrabor.

I. *Ex "Codice Iuris Canonici":*

"Sanctissima Eucharistia custodiri potest, de licentia Ordinarii loci, in oratorio semipublico domus pie". Ex canone 1.265, 1, 20.

Episcopi autem, et oratorium est in casu semipublicum, et domus est pia. Quod quidem unum et alterum sic probatur:

a1. Quod episcopis oratorium sit in casu semipublicum, sic constat:

b1. Ex canone 1.189: "Oratoria Episcoporum, licet privata, fruuntur tamen omnibus iuribus et privilegiis quibus oratoria semipublica gaudent".

b2. Ex canone 1.188: Oratorium semipublicum est locus divino cultui destinatus in commodum coetus fidelium eo convenientium, ita tamen ut illud adire non cuique sit liberum. Sane eiusmodi oratorii semipublici notio oratorio vere congruit quod episcopus in domo episcopali erigat forte pro sua familia, clericis et laicis composita.

a2. Quod vero episcopi domus sit pia domus, ex sequentibus recte efficitur:

Pia domus ea est quae ad pietatem aut misericordiam exercendam deputata est. Vel, ut sapientioris utar verbis: "Pia domus ea intelligitur quae instituta est ad cultum religionis quomodolibet fovendum, vel ad caritatem christianam in proximum exercendam" (CAPPELLO).

Domum autem episcopi esse domum religionis et caritatis ita evincitur:

b1. Ex iuris praescripto:

c1. Iuxta canonem 1.483, 2, domus episcopalis impensis mensae episcopalis est sustentanda, ex beneficio nempe ecclesiastico; bona autem ecclesiastica, quae scilicet ad personam moralem in Ecclesia pertinent (can. 1.497,

1), ad finem religiosum vel caritativum ordinantur (can. 100, 1), qui sunt fines proprii Ecclesiae (cans. 1.495, 1.496). Domus igitur episcopalis est domus religionis et caritatis, ideoque domus est pia.

c2. Episcopalem domum episcopus habitat, qui, una cum familia sua clericorum et laicorum in eiusdem adiutorium atque servitium, vitam ducere debent excellentiori modo christianam et religiosam in clarum populi et cleri exemplum (cfr. cans. 124, 331), quem ad modum antiqui Ecclesiae canones atque decreta conciliaria acriter commendant. Familiare ergo episcopi una cum eo communitatem quandam constituunt piam et religiosam (cfr. can. 134), quae episcopalem domum omnino ab aliis distinguit domibus privatis. Est igitur pia domus episcopalis domus.

b2. Ex rei natura. Episcopalis domus propter episcopum tota est, ut patet. Episcopus autem, et in sua persona et in statu suo, quorsus cedo pertinet totus nisi ad religionem et caritatem? An persona episcopi non est consecrata? Est quippe! De statu autem suo quod sit religionis et caritatis, neminem in Ecclesia latet, quandoquidem est in statu ecclesiastici ministerii. Nimirum.

c1. Episcopus est prae primis in statu clericali, qui est vitae condicio devotae et mancipatae ad fidelium regimen et cultus divini ministerium (cfr. cans. 108, 1; 948; 1.352); proinde est ei status religionis et caritatis.

c2. Episcopus est in statu pastoralis, in quo quis tenetur etiam animam suam ponere pro Dei honore et gregis salute (S. TH., 2-2, 184, 7, o), eius ergo status est religionis et caritatis.

b3. Ex sensu communi. Omnes fideles episcopi domum edeunt, non profecto ad artes vel scientias huius mundi discendas, non ad deliciose otium, non ad agenda saecularia aut profana negotia; sed ad consilia capienda gravia, ad quid solatii spiritui quaeritandum, ad miserias animae et corporis subveniendas. Id propterea, vel ipsa civilia gubernanda domos episcopales attributis eximunt (cfr. "Concord. España", art. 20, 1, b).

2. *Confirmatur assertum:*

a1. Ex usu communi: Prout audio, praeter ea quae ipsemet vidi, plerique episcoporum sacram Eucharistiam de facto in suo sacello servant. nec unquam de indulto ad hoc apostolico obtinendo curaverunt.

a2. Ex absurdis secus sequentibus: Absurdum siquidem reor illud esse, quod, ex omnibus semipublicis oratoriis, uni Episcopi sacello non liceat Eucharistiam asservare, vix namque oratorium semipublicum invenies quod ad domum aliquo modo piam non pertineat.

Item, absonum mihi est quod etiam apud privatas saecularium domos si v. gr. in clinicas particularium medicorum sunt conversae (CORONATA), vel in socialibus associationum fidelium domibus (REGATILLO), Eucharistia de licentia Ordinarii loci in eorum oratoriis servetur, et id episcopali oratorio denegetur.

a3. Ex responsione ad obiectiones:

b1. "Domus episcoporum non sunt sensu *technico* piae" (VERMEERSCH). At undenam, quaeso, aut quorsum distinctio ista inter domos pias sensu *technico* et sensu *non technico*? Primo, lex non distinguit; dein, quid pia domus sensu *technico*, quid vero sensu *non technico*? Desiderantur definitiones. Data tamen, sed non concessa, distinctione gratis allegata, quare—iterum peto— esset in casu rigidior imponenda interpretatio cum de Episcopi iurisdictione ordinaria agatur?

b2. "Sacello Nuntiorum custodia ista est explicite facultate concessa" (VERMEERSCH). Esto! At quid inde? Multifariam res explicari valet: Ex ante Codicem forte disciplina; ex variis fontibus interdum idem mandat ius; non omnia privilegia sunt contra ius; ad superabundantiam forsitan id factum est, etc.

FIRMINUS A CAMPO, C. M.